



11

C O R O N A
C N O S I A

NOVEM SIDERIBVS ILLVSTRIS

PRO LITTERIS AMAENIORIBVS.

ILL.^{MO} ET EXCELL.^{MO} PRINCIPI

D. D. AVGVSTINO CHISIO

AELIO-ANGELICAE ARCIS

P R A E F E C T O .

E T

VTRIQVE MILITARI CVSTODIÆ PRÆPOSITO.

D I C A T A .





ILL^{ME} ET EXC^{ME} PRINCEPS.

ORATIO



*Q*UAM Fabule Stellis intexam Ariadne Coronam à Libero Patre datam sinxerunt: ea ut Tibi iure deberetur, tuis effecisti virtutibus; ut redderetur, meis ego litteris effeci. Observaui natum esse Te in ea Domo, quæ splendore sanguinis, luce imaginum, insignibus Magistratum sic enitet, ut Sidera Cælo possit suppeditare. Intec quæ, Tu, Illustrissime AVGVSTINE, tot explicas animi, et corporis dotes, ut Orbem quendam radiorum videaris conficere. Ex quo lucida Corona, quasi ex Astris componi, et capiti inferi Tuo queat. Alta indoles, seltæ genius, magnus animus, prudentia, humanitas, suavitas, gratia, elegantia, industria, novem ornamenta totidem Stellas in Coronam sufficiunt. Iis Tu Chisias Gentilitias cum sanguine acceptas auges: et in Montium tuorum culmine collocatus septicollem Romam illustras. Vna olim Patria in Cæsaris Domum cooptatus Stella Iulia contentus Augustus; Tu tribus innatus domesticis Chisias, noua virtutibus proprijs Sidera extudisti: et Augustinus Augustus clarior effulges: et Domum Chisiam Cælo simillimam tot Astrorum Ternarijs reddis. Vnus quondam Felicitati datus: Tres quam Felicitatem portendent! Flores ego Humaniorum Tibi litterarum dicere meditabar, à Musis nouem in fasciculum collectos; sed vidi mutata in melius sorte in Stellas conuerti, et Coronam componi. Id prouidentie assignaui, nec enim Te decebant flores, qui marcescerent, sed Astra, quæ manerent. Hoc Tibi Diadema, non Liber, sed Apollo multo illo nobilius Numen sacrat, qui, ex quo ALEXANDER Maximus Vrbi et Orbi imperat, Parnassum, Heliconam, et Pindum Chisias Montibus commutauit: et Lauros Quercubus subiecit. Tu illius, et sororum apud eum, mea opera, disceptantium, Honorarius Arbitrator esto.


S I D V S I G R A M M A T I C E S.




GRAMMATICÆ Ars est Orationis, certæ industriæ: erratæque correctrix. An sit etiam emendatæ ornatrix? Cuius splendorem Eloquentiæ esto. Vtra vtri antecellat: Græca Latina? An Latina Græcæ? Eligito. Vt Græca sit copiosior, Latina certè seuerior. Hinc tot apud Græcos Anomala, apud Latinos tam pauca. Aliarum Linguarum obseruationes magis, quàm Artes sunt. Grammatica aptè categorica, quòd substantiua, & Adiectiua, Substantium Verbum, & Accidentia includat. Venustè in Orationem, meditatiua verba adfiscit: Deponentia Vetus Ars: puerilis Diminutiua vendicat. Tam est accurata, & diligens, vt in ea ne supina quidem iaceant, & orientur. Tam fecunda, vt iuget verba, & copulet, & coniunctionibus liget. Mirum quòd in modo, & tempore infinitum contineat. Cum simplex sit constructio, figuratam non excludit: non iniuria, cum verba in coniugationibus personas agant. Ne dubita, quin Sol in Grammatica sit, quæ suam Eccipsim figuram habet. Hæc obscura est: sed Enallage obscurior. Archaismus, & Hellenismus audaculæ. Sui sunt Grammaticæ hostes: Solæcismus, & Barbarismus. Vter infestior? Barbarismus. Musices mater est. Quantitatem syllabarum in numeros redigit, & versum struit. Poëticam licentiam vincit numeris, & alas in pedes vertit. Pedestris tamen non est Orator, & si ligata Grammatici iuris est. Nobile olim Grammaticorum pater Diomedes, & Priscianus. Nobilius nostra tulerunt tempora, Antonium Nebrissensem, & Emmanuelẽ Aluarezium, iam vero si huic Velefium adiungas; nec arte fuit, nec deinceps, opinor, erit accuratior Grammatistes.



S I D V S I I R E T H O R I C E S .



DIALECTICAM dilatata in palma solutam, arguè, ac verè Zeno Rhetoricen descripsit. Germana hæc, & iusta ad Aristotelis amussim scientia. An sit nobilior Dialectica? Arbitrij arguentis esto. Obiectum: Modus Persuadendi. Circa vtranque versatur Potentiam: Intellectum: & Voluntatem: in hanc demum incurbit, vt flectat, & omnino persuadeat. Locis ijsdem, quibus Dialectica imo, & argumentis, sed fusiùs explicatis, vtitur. Vim seruat: ornamentum addit. Troporum flores inserit, figurarum gemmas inducit, sententiarum lumina adhibet. Triplex dicendi genus. Iudiciale: Deliberatiuum: Demonstratiuum. Iuxta ea styli formæ. Est Acutus, & infimus: temperatus, & medius: vehemens, & summus. In omnibus vnus Cicero dominatur. Epistolaris extra Rhetoricen manet. Huius germani specimen, liber Epistolarum ad Atticum. Ad quas Lypsius suum dicendi, & scribendi genus accommodauit. Qui eum sectantur, Eruditum certè Magistrum habent: Eloquentem habere non possunt. Ideam Oratoris perfectam in libris de Oratore Ciceronis expressam inuenies. Quidquid Myrothecia Isocratis, scrinia Aristotelis, repositoria Theodectis Græciæ seruarunt, id vnus liber de Oratore ad Brutum Latio exhibuit. Hinc Quintilianus hausit, quæ in suas institutiones deduxit. Si qua rerum, verborumue scientia Oratori desit, is perfectus esse non potest. Quid sit Atticè, quid Asiaticè dicere, ex nobis, posito de quo dici velis, ex tempore audies. Oratorum Catalogum in libro de Claris Oratoribus ad Brutum per ætates cum Tullio texemus.



ELO.

SIDVS III. ELOQVENTIAE.



REGINA, & ornatu, & pompa, & imperio in animos dominatur. Cum mortua muta dictione, tum viva pronunciatione persuadet. In lingua Ciceronis folium habuit. Laudando ne? an vituperando praestiterit? Acus Fulviae dijudicet. Certè vna illa lingua omni Graeca adorea, & Latina laurea praestantior. Diu post Tullium siluit Eloquentia. Quintilianus silentium soluit. Patres eam fuscitarunt, & consecrarunt. In Graecia acutus Nazianzenus: Basilius temperatus: Chrysostomus copiosus. In Latio Lactantius nitidus, & fluens: Cyprianus candidus, & elegans: Hieronymus tersus, & ornatus: Ambrosius floridus, & venustus: Augustinus acumen, & fulmen. Panegyristes Princeps Plinius. Proximus ab eo Pacatus. Superiori aetate reffloruit Eloquentia. Prouocarunt Flores Sadoletus, Bembus, Manutij, Muretus. Subinde venerabilis Societas Iesu summos Oratores suppeditauit, suppeditabitque. Nihil Perpignano grauius: nihil Syrmondo dulcius: nihil Petauio nitidius: nihil Stephonio vehementius: sed neminem Campiano anteposuerim. Summus est in elato, & insolenti styli genere Scribanius. Stradae genius felix, & ferax. Galline Italae, Italinae Belgicae, Belgicae Germanis latine scribendi proprietate, & nitore, & elegantia praestent (nam Hispani grauioribus studijs dediti facile hac in parte ijs concedent) collatione facta dijudicetur: Ego omnium societatis Authorum latinissimum Becium pronunciaro: *Me quoque Principibus permistum agnoris IESV.*



S I D V S I V. P O E T I C A E.



VER A, & Aristotelæ scientia. Obiectum habet Vniuersale, ac necessarium imitabile. In quo versatur Fictio. Hæc vti genus in quatuor species diuiditur; Epicam; Tragicam; Comicam; Lyricam. Epifodia, & versus accidunt Poeticæ. Subiectum postulat vnum: quod cum multis herouibus personisque stare potest. Poemati circa Deum nulli versari licet. Poeta natura valet; Arte perficitur. Homerus Poetarum Pater. Ilias eius perfecta: sed Odyssea perfectior. Vtrique tamen præstat Æneis: idea Epopæiæ. Princeps veterum Comicorum Plautus. Elegiacorum Propertius. Vnicus Seneca pro Tragicis. Horatius pro Lyricis. Statius, Claudiano, Silio, Valerio Flacco antecellit: nam Lucanus Poeta non est. Superior ætas Sanazarum, Vidam, Fracastorium, Nauagerium, Castillioneum: nostra Pulcarellum, Stephonium, Symondum. Petauium antiquis penè pares tulit, nec me vatum de gente negabo. De loco videris. Itali Petrarcha, Ariostus, Guarinus, Marinus, cum Hispanis Garcilasso, Ercilla, Gongora; Vega, cum Gallis, Ronfardo, & Battasio certant. Omnibus tamen duo præstant: Torquatus Tassus Italus, Ludouicus Camonius Lusitanus: Vter vtri? Camonius. Primi olim Theologi Poëtæ. Olim sacra: deinceps infulata Poësis in Damaso, Nazianzeno; Prospero, Paulino: Eam Leo X. inaurauit: Urbanus Octauus nectare asperfit. Alexander VII. ambrosia condidit. Aristotelis de Poetica liber oraculum. Torquatus Tassus Aristotelis, & Homeri anima. Crispi Scaligeri probo, Casteluertrij ingenium sua subtilitate Aristoteli nocuit.



HISTO-

S I D V S V. H I S T O R I A E.



ARIS singularis: sed quod singularibus addita, scientia esse non potest. Olim nuda, & simplex, veritati, cui, studet, similis. Deinceps vestiri aptè, & ornari impensè cepta. Sed citra pigmenta, & fucos: etsi intendum calamistrosferat. Coniecturas abhorret, & diuerticula. Illud Oratorium, istud Poeticum. Qui vollet vtrisque non ineptè vti, sermones serat. Dictione Historici non contenta, & acris: sed tracta, & fluens: Historicae Idea amissa est iactura facta Historiae Ciceronis Consulatus sui. Hic expressa perijt. In Livio tamen adumbratam inuenies: Hic omnino Princeps Historicorum: omnibus omnium gentium anteponeendus. Sallustius, Cæsar, Velletius, Curtius, Suetonius iusti, etsi tamen diuerso quisque stylo, Historici. Tacitus Politicus: non magis tamen Historicus, quam Lucanus. Poeta: Horum Crifis esto. Vulgarium: dulce quiddam habet Bentiuoglia, floridum De Auila, graue Zurica, facile, & nitidum Guicciardinus. Virgilius Maluezzi corrupte Historice. Latinorum Æmilius candidus: Iouins elatus: Thuanus profundus: Bucchananus nitidus: Cambdenus tersus: Barlaeus tumidus: Orlandinus fufus: Sacchinus pressus: Mariana fucus: Turfellinus venustus, Strada elegans. Caue tamen, ne quem eorum Maffeiq anteponas, Ioannes Barrius Indicarum rerum Lusitanus Scriptor, secundus à Livio. Profanarum Romana Historiarum præstantissima. Perfectam Historiae formam, rationem, stylum, & ornatum, si quis roget, Accipiet.



S I D V S V I. ERVDITIONIS PEREGRINAE.



ATHENÆ, & Lacedæmon pares studijs, artibus, virtutibus, opibus, armis: sed dissimiles: Vtra plures Heroas tulerit? Tua elto optio. Thebæ vnum Epaminondam omnibus fortiter opposuerint. Quæ Monarchiarū potentior? Assyriorum? An Persarum? Sanè vtræque, Græcorum: sed breuior. Alexander Niño, Cyroque superior. Huic vix Philippus Pater concesserit. Vbi maior victoria? Ad Salamina? an ad Platæas? Certè illustrissimum trophæum ad Thermopylas. Ætholorum, Achæorū, Rhodiorum, Siculorum opes, viresq; penè pares: sed Achæorū Philopœmenes extollit: Tartarorum Tamerlanes. Turcarum Selymus, Persarum Ismael. Bellum Pelopponnesiacum memorabile. Memorabilius Tarentinum: Pyrrho Duce: sed clarissimum Punicum secundum: Imperatore Annibale, omnium ante, & post se maximo. Belisarius: Narses, Aëtius: Martellus armorum fulmina. Vtros vtris præferas? Guelphos Gibellinis? Sfortias Mediceis? Vrsinos Colonis? quos præferas, postponam. Itolorum, Gallorum, Hispanorum, Lusitanorū, Anglorum Reges, Ducesque, si conferas, quibus palmam adimas, dederò: Imperatorum Maximus Carolus Magnus, ab eo Quintus. Huic Regum Franciscus præter fortunam, par. Henricus IV. Heros Galliæ. Hunniadem ne Scanderbecho; Confaluum ne Piscario, neminem Albuquerque anteponas. Philosophorum Princeps Plato. Scholarum Peripatetica. Sectas, & Authores dabimus. Epicurum in haram includemus. Præflet ne Pictura Sculpturæ? Prolatis tabulis, & signis liquebit.



ERV.

S I D V S VII.

ERVDITIONIS ROMANÆ



V R B S Roma caput Orbis, & Orbis instar. Vertex Mundi Capitolium. Princeps populorum Romanus. Togata ne, an Armata mirabilior? Vna Vrbs, sed reliquo mundo amplior: Septem collibus celsa: Septem Regibus clara: septem seculis illustris. A Sepeimo monte Pomærium: post Septimum Regem libertas: Septimo seculo tyrannus occæpit. Primus Romanorum Lucius: Vltimus Marcus, Bruti: Decemuiratus similis Regno Magistratus, iniuria: casu. Tribunatus Consulari potestate Consulatus penè par: Imperium speciosa tyrannis. Consulatus iustus. Dictatura summus, & extraordinarius Honos. Cuius nunquam Romanos per tot sæcula pænuit: Regum Romulus: Consulum Cursor: Dictatorum Fabius Maximus: Censorum Cato: Ducum Scipio: Imperatorum Cæsar. Omnium Clarissimus Camillus. Feracissima virtutum ætas in quartum. Scientiarum in sextum incidit. Ciuilibus ne discordijs Roma, an externis bellis exercitior? Profuerintne plus ei Tribuni, an nocuerint? Præstiterintne Patricij, Plebeis; an contra? Romanorum Familiarum, quæ præstantissima? quæ Victoria celeberrima? qui triumphus clarissimus? Quouis producto æquum afferant. Sicuti quolibet, aut Romanorum, aut externorum Heroe insigni prolato, alio ex Romæ sinu nobilitatem producam. Vter acrior libertatis vindex? Lucius, an Marcus Brutus? Vter disciplinæ militaris seuerior cultus? Torquatus? an Papyrius? vter animosior Horatius? an Cocles? vter audacior? Curtius? an Mutius? Certè Tres Decij pietatis, & virtutis miracula. Si Alexander in Romanos arma verteret, in Darium verteretur.



ASTRO-

S I D V S V I I I

ASTRONOMIAE, GEOGRAPHIAE, HYDROGRAPHIAE, GEOMETRIÆ.



NVLLVM, aut maius, aut lucidius Astrum, quàm Sol. Qui intra eum cavitates; asperitates, accessus, recessusque more pelagi æstuantis incendij, intueri se profitentur; nugas vendunt. Tubi optici vsus audaces Astronomos reddidit. Conduxerime magis? an nocuerit Astronomiæ? Arbitrij esto alieni iudicare. Mei certè statuere: illum ob locorum distantiam, & varias impressiones aeris intermedij sæpius deficere, quàm consistere. De Astris, quæ in Cælo versantur; Animarum, quæ carent corpore, non oculorum, qui inhærent corpori, iustum, & idoneum esto iudicium. Id constat: Cælos esse non solidos: ac in ijs soluta Planetarum, & Siderum lumina, sed ordinata moueri. Vtriusque Maris, & Terræ globum vnicum esse, & idem centrum compertum est. Tribus Elementis mundus constat. Antipodas Lactantius iniuria negat: Augustinus iure. Veterum nauigationes præ nostris, Pygmæorum. Antiquiorum: clariores ne Tyrj? an Carthaginienses? Recentiorum certè Lusitani. Ecquis nauigando celebrior? Iason? an Hanno? Columbus? an Americus? Certè nauis illa Victoria Orbe, Duce Cano, circumnauigato Magallianum præponit. Omnium tamen, illum Vacuum à Gama illustrem splendore sanguinis, aperto, & lustrato Oriente clarissimum, & olim fuisse, & deinceps fore existimo. Circuli è quibus æquales lineæ rectæ auferunt circumferentias similes, æquales sunt. Contactus lineæ rectæ cum circulo, in communi Mathematicorum sententia, quantitas non est. Anguli qui sunt à diametro, & peripheria, siue contra, siue extra circulum, recti sunt, & rectis rectilineis æquales.



SIDVS IX. POLITICES.



MONARCHIA Aristocratiae. Aristocratia Democratiae praefenda. Vtra potior? Electio? an successio? Certè in Monarchia humana, & temporali, successio. Non ideo meliora Imperia, quòd ampliora. Marine? an Terra imperatur potentius? Certè qui mare teneat, is terrae potiatur necesse est. Praestant Ciuitates quae in edito, ijs quae in plano sunt sitae. Fortiores esse, quae muris carent, Sparta docuit. Praecipuos Legislatores omnium gentium numerabimus, & conferemus. Platonis Respub. cesserit Romanae. Huius in Regibus principia in Consules flexus: in Decemuiros deflexus: in Tribunos militari potestate tractus, ad Consules reditus: in Imperatores exitus, post eos cursum, & in ijs gesta commemorabimus. Omnibus Romanis Magistratibus celsura praeposenda. In Romanorum te conuiuia, Graecorum Symposia inducemus. Ludi Romani, Graeci, Scenae, Theatra, Caueae, patebant, Gladiatorum paria in Arenam descendit. Caue, ne quem Olympionicen Triumphatori praeferas. Respublica Genuensis Atheniensis similis: Veneta Romanae. Ornarent ne magis Respub. Fortes, an Eruditi viri? instituta dissertatione constabit. Caralogum vtrorumque à restituta Italiae à Castruccio, & Galeacio, & Alberico militia, & à Petrarcha, Valla, Blondoque politiori litteratura, productis in aciem cum militaribus, tum doctis viris texemus: & multos hoc tempore eruditos praefcis pares, Meccenate Flauio: Auspice ALEXANDRO, Papa Maximo, proferemus. Hoc Principe Aureum litteris, & virtutibus seculum esto.



CORO.

CORONIS

Omnia Ciceronis Opera euoluuntur, explanantur. Quidquid ex Tito Livio quis querat, prompto, responsum accipito. Sallustij, Caesaris, Curtij, Paterculi, Suetonij, Taciti Historie: Virgilij, Ouidij, Horatij, Casulli, Tibullij, Propertij, Statij, Siliij, Claudiani Poemata conferuntur, examinantur, explicantur.

SVMMA THESVM

QVA DE RE CVNQVE QVISQVE VOLET, EX TEMPORE, SEV PROSA, SEV VERSV, EX ME AVDITO.

F I N I S.



